

sari ab una illa facilitate, quam M. Marcello veniam delicti dedit, quam a quinquaginta duabus victoriis suis. Multi norunt equos peritissime agitare, asinum interim suum edomare nesciunt, quin levi verbo tacti ab eo excutiantur. Quare ut materiam laudis et victoriae in promptu semper haberemus, reliquit nobis Deus concupiscentiam, veluti effrenem equum, quem injecto freno domaremus et ad quævis obsequia idoneum faceremus. Reliquit nobis hostem, in quo subjugando laudem et victoriam adipisceremur. Stultum et ridiculum foret, nedum laude dignum, si quis gloriaretur quod hosti jam occiso caput amputasset. Nihil vero plus laudis meremur si concupiscentiæ, quæ in baptismo jam enecta foret, dominaremur. Porro in nostra potestate est vincere hunc hostem; qui, nisi ei consentiamus, nocere nobis nequit. Calcaria habemus, quibus eum porro agamus; frenum, quo retrahamus; virgam, qua subigamus. Sessoris culpa est, si ab equo excutatur, non equi. *Non has affectiones habendo, sed eis male utendo delinquimus*, ait S. Prosper, l. II. de vita contempl. c. II. Arripiamus arma Christianorum, sacramenta, jejunia, disciplinas, lorica S. Dominici loricati, spinas S. Benedicti, etc. Ita e spinis carnis nostræ, gloriæ coronam nobis contexamus.

V. Quinta, ut emineat vis et efficacia gratiæ Christi, cujus ope ita edomari rebellis illa bellua potest, ut habitet lupus cum agno, pardus cum hædo, etc. ut prædictum Isa. XI. ac quemadmodum Daniel inter leones famelicos salvus et illæsus mansit; ita et nos, si volumus, inter passionum rugitus, salvi consistere possumus. Enituit hæc virtus in quam plurimis sanctis, qui nisi hunc habuissent hostem ignavi et inertes desiderare debuissent. Theodoretus episcopus Cypri, in hist. ss. pp. cap. XXIV. de Polychronio sic scribit: « Mortificabat se aspero cilicio, vilique et nullius pretii habitu; sicque inopem vitam agebat, ut nec necessarium quidem semper haberet nutrimentum, ac totam noctem vigil in precibus stans consumebat: ad augendam autem mortificationem habebat in cella truncum ex quercu (quem fatetur Theodoretus vix se potuisse tollere), hunc noctu diuque imponebat humeris, et sic in oratione perstabat. Paupertatem tanto studio coluit, ut æstimaret quovis regno magis expetendam. His aliisque id genus exercitiis in extremam usque ætatem usurpatis, ad tantam Dei notitiam, continuamque rerum divinarum memoriam pervenit, ut mentem a contemplatione divellere non posset; quare et cum his, qui ad ipsum subinde ventitabant, paucis disserens, non poterat in animum indu-

cere, ut cogitationem a cælis deduceret. » Hæc ibid. Palladius quoque, in hist. Lausiaca, sect. XVII. scribit Macarium Alexandrinum, domandi sui causa, toto sexennio nihil præter cruda olera et legumina humectata sumpsisse, viginti diebus et noctibus tectum non ingressum, ut somnum vinceret; cum interdum quidem arderet æstu, noctu frigore rigeret: deinde, cum aliquando ei molestiam exhibuisset spiritus fornicationis, nudum sex menses sedisse in palude Scetes, quæ est in vasta solitudine; et a culicibus, quæ magnitudine æquant vespas, toto corpore ita demorsum ut videretur leprosus. Addit autem, ad humiliandum se duorum modiorum sportam arena plenam, humeris impositam, per totam solitudinem deportare solitum. His aliisque exercitationibus corporis tantam apud Deum promeruit gratiam, et ad tam sublimem et constantem pervenit Dei cognitionem, ut sæpe nocte cum die in solius divinitatis contemplatione detineretur. Denique prodigium, quod vidit Moyses in rubo ignito, sed non combusto, hoc quotidie cernitur in viris exercitatis, qui flammam concupiscentiæ quidem gerunt intra se, nihil tamen ab ea læsionis capiunt. Vidimus alibi, dæmonem cuidam Dominico ord. Prædicatorum sectatori, postquam libidinis flammas subjecisset, victus tamen ab eo fuisset, acclamasse: *Vicisti, quia in igne fuisti, et non ardisti.*

Quando igitur zizania concupiscentiæ, ut vidimus, magno Dei consilio relictæ sunt in agro cordis nostri, superest, auditores, ut saltem operam demus, ne super triticum excrescant, mentemque suffocent, vel tenaci nimis implexu ad terram trahant. Deprimenda ergo sunt et rationi subijcienda. Veniet aliquando tempus, quando lolium istud prorsus eradicabitur et per omnem æternitatem a nobis erulabit, etc.

CONCIO IV.

CUR ALII FORTUNATI, ALII INFORTUNATI.

I. Ob Dei dominium. — II. Ob diversum hominum meritum. — III. Ob exercitationem. — IV. Ob hominum utilitatem. — V. Ob hominum industriam vel ignaviam.

THEMA.

Unde ergo habet zizania? Matth. XIII.

Quanta fere in agris, tanta in hominibus cernitur inæqualitas. Videas agrum aliquem purissimis frugibus plenum, videas contra alium vicinissimum, eodem tempore consitum, zizaniis

refertur et frugibus destitutum. Multum sæpe mirantur hoc ipsi etiam agricolæ, quæ nimirum causa sit, cur ager iste sterilis, alter vero fecundus sit. Pari ratione in hominibus magna est diversitas, quod attinet ad fortunam. Unus enim felix est, alter vero infelix; uni omnia cedunt prospere, alii omnia infauste; unus sine magno labore ditescit, alius continuis laboribus vix inopiam pellit. Ecquæ vero, inquires, hujus disparitatis causa? Gentiles cæci causam censuerunt esse fortunam deam cæcam, quæ fortuito, non pro meritis bona distribueret, ideo sæpe dignis negaret, indignis autem conferret; astrologi in astra et horoscopum causam referunt, unde et de cujusque fortuna et infortunio futuro divinare audent; æque cæci ac gentiles; vulgus casu id evenire putat; sed errant universi. Causa enim hujus rei non est nisi Deus, qui singulis distribuit prout vult: cur autem velit Deus alios esse fortunatos, alios infortunatos, videbimus.

I. Hujus varietatis causa est, Dei absolutum in homines dominium, in cujus manu et potestate est fortuna et infortunium. Quemadmodum enim figulus habet potestatem faciendi ex eodem luto aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; ita etiam Deus faciendi unum divitem, alium pauperem; unum nobilem, alium ignobilem; unum felicem, alium infelicem; ut discurret apost. ad Rom. IX. Et quemadmodum lutum ex se non habet, nisi quod sit lutum; ex figulo autem habet, ut sit tale vel tale vas: ita homo ex sua humo, nil nisi humum et lutum habet; ex Deo autem quod sit tale lutum, talis vel talis homo. Cæterum sicut ipse dat hanc vel illam fortunam: ita et dat vires ad ferendam hanc et illam. Ut ergo agnoscamus, et ad Deum tamquam figulum nostrum recurramus, nec ab alio quam ab ipso prosperitatem hanc postulemus, vult eam aliis quidem dare, aliis vero negare. Verum quia nescimus ultra nobis fortuna sit utilior, ideo Deo sortem nostram committamus, dicentes cum Davide Ps. XXX. *In manibus tuis sortes meæ.*

II. Diversum hominum meritum. Ideo sæpe bonis bona largitur Deus et præter spiritualia etiam temporalia, quemadmodum legimus, Ps. I. de viro ambulante in lege Domini: *Omnia quæcumque faciet prosperabuntur*: et ad Rom. VIII. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Sic Jacob patriarcha, quia servus Dei fidelis et justus fuit, non ipse tantum prosperatus est in omnibus suis actionibus et itineribus, sed et alii propter ipsum. Unde Laban ejus socer et dominus ait ei: *Experimento didici, quia benedixit mihi Deus propter te*, Gen. XXX. Si-

militer et mali sæpe prosperantur, quia eam prosperitatem meruerunt bonis operibus moralibus, nemo enim adeo malus est, quin aliquid interdum faciat boni: quod cum meritum vitæ æternæ non habeat, meretur saltem aliquod præmium temporale, teste S. Augustino, lib. V. de civit. cap. XV. Vicissim boni aliquoties adversa patiuntur, quia vel præteritis et dimissis jam peccatis ea sunt commeriti, vel merentur adhuc quotidianis et venialibus defectibus, quibus cum non debeat pena æterna, debetur saltem temporalis, veluti honorum temporalium amissio et similes afflictiones. Hujus rei exemplum refert Gabriel Inchino canonicus reg. Lateran. in Scala cæli, ex vitis pp. « Erat eremita quidam, qui in desertis locis longe ab hominum commercio degens, vitam sanctissimam tradebat: huic pius quidam vir ex urbe vicina consueverat cibaria deferre. Erat autem in eadem urbe homo prædives, opibus quidem inclytus, at impietate et crudelitate notissimus. Hic cum mortem obiisset, vidit illum qui sancto eremita ministrare consueverat, ad sepulcrum magna cum pompa et honore deferri, universo clero et omnibus religiosis et famulis magna cum populi parte funus associantibus, atque candelas et faces ardentes gestantibus, aeremque thuris aliarumque rerum odoriferarum fumo complementibus. Quo sepulto perrexit ad eremum, ut sancto eremita juxta consuetudinem solitum cibum deferret: et ecce invenit eum mortuum atque a bestiis laceratum. Cæpit tum vehementer intra se admirari, cur impius ille post mortem tanto cum honore et pompa sepultura traditus, sanctus vero hic vir defunctus a feris lacerari promeruisset. Cui angelus apparens ait: Nullam tibi casus hic commoveat admirationem, quia homo ille sceleratus et immanis, eo quod in vita sua non nihil boni operis effecisset, a Deo, qui nullum bonum relinquit irremuneratum, in hoc mundo pro mercede honorem illum accipere meruit. At sanctus hic eremita, qui bonis operibus et divinis virtutibus plenus fuit, quoniam in vita parvos aliquos errores et defectus admiserat, Deo permittente, qui nullum malum relinquit impunitum, a bestiis laceratus est, ut per temporalem hanc penam omnino purgatus et emundatus, e vestigio ad sempiternam cælestis paradisi gloriam transiret, ibique præmio virtutum et operum suorum vitæque integritatis traductus frueretur. Quo dicto angelus discessit, et sancti eremita minister admirari desit. »

Nemo igitur existimet injuriam sibi fieri, cum premitur adversitate, quia nemo a peccatis libet saltem venialibus: imo pro beneficio computat,

cum hic a Deo punitur. Hoc enim orat Habacuc, cap. III. *Ingrediatur putredo in ossibus meis et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis.* Multo minus mirum, si impii et damnandi calamitatibus hic premantur: hoc enim merito illis contingit propter eorum scelera ad ostensionem divinæ justitiæ, quæ non semper differt reprobis punitionem, sed in hoc mundo sæpe inchoat, et in altero complet. Ne igitur conquerantur impii contra Deum, cum asina illa Balaami: *Cur percussis me, ecce jam triduo?* Respondabit enim illis: *Quia commeruistis*, Numeror. XXII. Asinus Balaami verberibus mulctatus est, quia progredi noluit in via mandatorum divinum: et ita sæpe duplici contritione conteruntur, uti legimus, Jerem. XVII. hic nimirum et ibi, quando corrigi nolunt.

III. Exercitatio et probatio hominum, ut qui felices sunt, sua felicitate ad Dei gloriam aliorumque auxilium utantur: infelices sua afflictione habeant materiam virtutis, modestiæ et patientiæ, adeoque pateat, quid possit virtus in utraque fortuna. Videmus enim alios divitiis bene utentes, alios paupertate, imo aliquos ambidextros, ad utrumque strenuos. Sed quia id paucorum est, ea de causa Deus majorem hominum partem mediocri fortuna donavit, ut eam levius ferant. Tam enim periculosa est nimia prosperitas, quam nimia adversitas. Quemadmodum ergo Deus Hebræis per desertum peregrinantibus, noctis obscuritatem mitigavit et lenivit columna ignis, et diei æstum temperavit columna nubis, ita diem prosperitatis moderatur nube afflictionis et noctem afflictionis igne prosperitatis. Neque enim omnes tam exercitati et ambidextri sunt, uti S. Paulus qui dixit: *Scio abundare, scio et penuriam pati.*

Magna virtus est tolerare æquo animo adversitatem; sed non minor, imo major est, non abuti prosperitate, ut si, verbi gratia, ad splendidam mensam assidens, tot illecebris et deliciis non capiatis, metas temperantiæ non excedas, sed in sobrietate te contineas; quam si in ædem rusticam divertens atro pane et aqua sis contentus. Unde S. Bernardus ait: *Magna et rara virtus est, inter epulas esurire, inter vestes algerare, inter honores humiliari.* Maxima vero est scire ferre utramque fortunam: nemo ergo existimet fortunam prosperam seu adversam sibi a Deo datam alio fine, nisi ad exercitium, ut videlicet se virum præbeat, et seu divitis seu mendicis personam bene agat. Aspiciet de cælo Deus agnoscet, quam bene utantur opibus divites, quam largiter egentibus tribuant, quam sibi in luxu temperent, etc. Aspiciet et pauperes, quam

patientes sint et humiles, quam grati et modesti, remuneraturus suo tempore et hos et illos.

IV. Hominum utilitas. Primo, ut fideles discant mundum contemnere, dum vident pios subinde esse infelices, impios felices. Hinc enim colligunt omnia terrena esse adiaphora, nec digna quæ amentur, quando ea dantur etiam iniquis. Si enim valde magnum bonum esset felicitas terrena, non negaretur justis, nec daretur injustis. Dixit enim Dominus, non mittendas esse margaritas ante porcos. Ergo terrena omnia non sunt majus quid, quam panis et aqua, quæ dantur etiam mancipiis; proinde qui his affluunt, libenter ea partiri cum conservis egentibus debent; siquidem parvi æstimanda, et onera potius sunt atque impedimenta viæ, quæ ad summa et cœlestia bona ducit.

Secundo, ut per adversitatem a peccatis avocentur, et per prosperitatem ad Dei amorem, laudem et gratiarum actionem excitentur. Adversitas quasi virga est, qua terret Deus et punit malos; prosperitas quasi præmium, quo allicit et remunerat bonos. Zach. c. XI. ait Deus: *Assumpsit mihi duas virgas: unam vocavi decorem et alteram vocavi funiculum.* Prior significat regimen amoris per beneficia et prosperitatem; posterior regimen terroris per afflictiones et adversitates. Adversitas enim et tribulatio sepius hominibus vias peccatorum spinis, ne inveniant amatores aut amasias suas. Prosperitas vero monet ut oculos attollant et considerent, unde illam habeant. Si enim sapiunt, secum cogitabunt: Unde mihi tantæ opes, tanta commoda, generis splendor, servi, pecuniæ, ditiones, prædia? Num ea mecum tuli, cum nascerer? At nudus natus sum. Num ingenio meo illa comparavi? At multi meliori præditi ingenio in sua adhuc egestate vivunt. Et si de patre divite natus sum, multi me justiores ex parentibus nati sunt pauperibus. Deus igitur est, qui me sic beavit, mera sua bonitate: huic ergo gratias agere et amorem impendere me oportet.

Tertio, ut in fide ambulemus, dum obscure et ex parte tantum cognoscimus Dei providentiam. Quinque enim modi possunt excogitari, quibus gubernaret Deus bonos et malos homines; vel utrisque dando semper bona, vel utrisque semper mala, vel bonis semper mala, reprobis semper bona, vel contra bonis semper bona, malis semper mala, vel denique utriusque modo mala, modo bona. Tres priores modi fidem eliminarent, quia nimis obscuro sunt, quartus quia nimis clarus. Si enim mali semper prosperarentur, boni semper affligerentur, quanta esset hæc tentatio? Quam

pauci futuri essent qui crederent esse numen, quod justitiam amet, oderit peccatum? Rursum si bonis semper bene esset, malis semper male, nimis aperta esset et perspicua Dei providentia: ex quo etiam fieret ut mali vel desperarent salutem, vel spe præmii temporalis solum Dei legem servarent, non virtutis amore. Convenientissimus ergo modus præsentis iterum statui fuit, ut neque adversa neque prospera justos aperte demonstrarent, ne fides ejusque meritum evanesceret, sive a nimia luce, sive a nimis tenebris. Ergo licet Deus sæpe multa largiatur hostibus, quæ negavit amicis, ut fidem et patientiam conservent, tamen sæpe etiam impios flagellat, et præmiis afficit pios, ut providentiam suam ostendat, et homines intelligant, ipsum non dormire semper, sed suo tempore rationes exacturum, zizania eradicaturum et in ignem projecturum.

V. Causa est hominum industria vel ignavia, astutia, et prudentia vel simplicitas. Deus enim plerumque sinit in mundo res ferri suis motibus. Instruit hominem libero arbitrio et aliis facultatibus, quibus sibi ipsi prospicere possit. Unde fit communiter, ut pro cujusque industria unicuique res succedant. Ergo homines boni sæpe prosperantur, crescunt et ditescunt, quia parce vivunt, tenui victu et vestitu contenti; timent dona Dei prodigere et dilapidare, etc. Mali contra decrescunt et ad paupertatem rediguntur, quia nesciunt sua retinere, parce vivere. Rursum sæpe boni idcirco egent, quia malunt fraudem pati, quam inferre: quia nimis candide agunt, etc. contra mali sæpe abundant, quia lucrantur, possident ac retinent, quæ Deus illis non donavit, sed tantum acquirere et habere permisit; ut quæ fraudibus atque usuris comparant, dolis et mendaciis, furto et rapina, etc. Quemadmodum enim in spectaculis quidam homines sunt, qui per cuneum spectantium refertum, penetrare ad ipsum usque circum possunt, quia nimirum impudentes, importuni et negotiosi sunt, omnes cubito trudunt, omnia perrumpunt, cum interim alii multi, quia hoc facere non audent, retro stare cogantur et ita nihil de spectaculo vident; ita prorsus in hoc mundo, qui impudentes, importuni et audaces sunt, nihil non acquirunt, nihil non efficiunt, cum alii qui metuunt conscientiam suam offendere, nihil tale audeant. Verum sinit Deus zizania crescere usque ad messem. Licet enim plerumque conatus iniquorum videantur ipsis ad tempus ex voto succedere, cum potentia prævalent; id tamen non est diuturnum, et illa prosperitas sæpe multis adversitatibus temperatur, ac demum miserrime

evertitur, ut videre est in celeberrimis monarchiis, quæ suis temporibus maxime floruerunt. Assyriorum monarchia eversa est a Chaldæis, Chaldæorum a Persis et Mædis, Persarum a Græcis, Græcorum a Romanis, Romanorum nunc mire accisa et ad magnas angustias redacta. Nabuchodonosor in summa prosperitate ad ferarum vitam ablegatur; Balthasar ejus nepos epulis et lætitiæ deditus, eadem nocte, capta civitate occiditur; Cyrus post tot victorias miserrime a Scythiis, amisso exercitu, trucidatur; Xerxes cum exercitu, in quo tricies centena millia militum, a Græcis turpiter vincitur, etc. Si quis veras merces circumferat per urbem, liber aliquamdiu procedit, sed ubi e porta civitatis pedem vult efferre, aderunt illico telonarii, qui pro singulis mercibus mulctam suam exigunt, unaque merces tollent. Pari modo impii sinuntur in hoc mundo circumferre bonorum suorum sarcinas; sed ad portam mortis sentient insultum iudicis rationem exigentis. Quare nemo bonus jure dici infelix potest. Contra: *Miser est improbus, felix licet*, ait Menander. Ratio est quia boni supernaturaliter sunt felices, et per temporalem infelicitatem diriguntur ad contemptum mundi, ad veram sapientiam, ad patientiam et fortitudinem, ad æternam felicitatem. Mali contra supernaturaliter infelices sunt, et per temporalem felicitatem diriguntur ad amorem mundi, ad libertatem et arrogantiam et denique ad infernum. Boni licet omnibus careant, Deum tamen habent; mali licet omnibus abundant, Deo tamen carent. Fallitur ergo vulgus, cum hos felices putat, illos vero infelices. Unde Ps. CXLIII. dicitur de illis: *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, oves eorum fetosæ abundantes in egressibus suis, boves eorum crassæ: non est ruina maceræ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum, beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Sed quid respondet propheta? *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.* Quo loco: « Diligenter notandum, (ait cardinalis Bellarm.) non facere differentiam inter filios Dei, et filios alienos copiam, vel inopiam rerum temporalium: multi enim filii Dei his bonis abundarunt, et Dominus, Matth. XIX. promisit centuplum eorum, quæ dimittimus, in hoc mundo, et postea vitam æternam, et contra multi filii hujus sæculi misere perierunt in egestate, in exilio, in tremibus, in patibulis. Sed quod differentiam facit inter filios regni et filios gehennæ, filios hujus sæculi, et filios lucis, est affectio: qui enim bona temporalia magna bona esse ducunt, et iis ita afficiuntur ut præ illis æterna bona contemnant: et contra, qui detrimenta temporalia magna mala esse

ducunt, eaque ita timent, ut pro iis evadendis Deum offendere, et vitam æternam perdere non formident, illi sunt filii tenebrarum, hujus sæculi et gehennæ. Et hoc significatur in illis verbis: Beatum dixerunt populum cui hæc sunt; id est, qui tanti faciunt hæc temporalia, ut in illis beatitudinem sitam esse arbitrentur. Qui vero bona temporalia parva bona, et jacturam eorum parva mala esse ducunt, ut revera sunt; contra autem gratiam Dei et cœlestem patriam in maximis bonis reponunt, et offensionem Dei ac vitæ æternæ detrimentum, mala gravissima putant, illi sunt filii lucis, filii Dei, filii regni, qui non surda aure audierunt: *Primum quærite regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*, Matth. VI. et hoc significatur in illis verbis, *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus*, id est, bona temporalia, bona sunt, sed beatum non faciunt: quod autem vere facit beatum, est possessio summi boni, quod in Dei visione consistit. » Quod nobis largiatur Deus.

CONCIO V.

CUR A DEO PERMITTANTUR HÆRESSES.

- I. Ut pateant sinceri Christiani. — II. Ut Ecclesia purgetur. — III. Ut Ecclesiæ industria excitetur. — IV. Ut fidelium mores corrigantur. — V. In pœnam peccatorum nostrorum.

THEMA.

Sinite utraque crescere usque ad messem.
Matth. XIII.

Sanctus Augustinus, in I. quæst. evang. in cap. XXI. Matth. existimat per zizania intelligi hæreticos, et per agrum mundum. Quam expositionem si sequamur, merito admiratur, cur Dominus patiatur zizania hæreseon nasci juxta Ecclesiam suam in agro hujus mundi. Certe Celsus Epicureus philosophus hinc occasionem sumpsit, Christianis de sua ipsorum dissensione insultandi, quod inter ipsos essent tot hæreses, apud Baron. anno 146. Nos ergo si possemus, quam primum iremus et colligeremus ea, hæresesque omnes in perpetuum extirparemus, quoniam ab illis nimium quantum premimur. Sed non ita Dominus, qui licet unam post alteram extinguat hæresin subinde, tamen semper novas prodire patitur, ita ut juxta Ecclesiam ejus semper sint hæretici. Quæ res cum non sine divino consilio fiat, nobis indaganda est.

- I. Permittitur: *Ut qui probati sunt, manifesti*

fiant, ait S. Paulus, I. Cor. XI. Id quod etiam David indicavit Ps. LXVII. cum dixit: *Increpa feras arundinis. Congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati sunt argento*. Ubi S. Augustinus, per feras arundinis, seu calami, (sic enim ipse legit) intelligit hæreticos, qui calamo, id est, scriptura vexant Ecclesiam, et ventilant ut tauri cornibus superbiæ suæ. Isti ergo congregantur ut tauri in medio populorum insipientium a sese ductorum, ut excludant, id est, rejiciant et exterminent sinceros fide cultores et veros Christianos: sed id solum efficiunt, ut excludant, id est, segregent a fictis veros Christianos, eosque præ illis eminere faciant, ut exponit S. Augustin. sicut cum argento ab artifice ex rudi massa excluditur et secernitur; vel sicut in exclusionem ovorum apparet ex prodeuntibus foetibus quæ qualia ova fuerint. De Constantino Chloro patre Constantini Magni gentili refert histor. tripart. l. I. c. VII. quod cum ex multis Christianis, qui in ejus aula erant, cuperet explorare, quibus potissimum credere posset, finxerit se deorum cultui instaurando, aula exigere velle et honoribus spoliare quicumque christianam religionem non abjurarent, patriamque amplecterentur. Qua facta denuntiatione, cum alii mutarent religionem cum gentilium superstitione, alii in fide persisterent, posthabitis omnibus, Constantinus ubi hoc pacto animos suorum agnovit, mutata sententia eos, qui defecerant, a se removit, ut quibus nihil magnæ rei tuto credi posset, qui Deo suo infideles extiterent, qui vero persisterant, eos charissimos ac fidelissimos habuit. Ad eundem modum Deus, quia novit inter Ecclesiæ suæ domesticos multos fore nutantes et ambiguos, ad quædam, sed non ad omnia fidei dogmata credenda paratos, item ob temporalia commoda, nequaquam vero gratis: rursus tempore prosperitatis et quamdiu contrarium illis non prædicatur, nequaquam vero tempore tentationis; idcirco videtur interdum velle introducere alienam religionem, dum permittit divulgari et prædicari subinde hæreses, ut qui in fide probati, sinceri et solidati sunt, appareant, similiter et qui vani atque ad defectionem inclinati. Ita enim Deut. XIII. ait Moyses: *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, etc. non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, annon, in toto corde et in tota anima vestra*.

- II. Ut Ecclesia purgetur et primo quidem, a levibus et inutilibus Christianis, hos enim ad se trahit hæresis, imo isti in illam sponte ruunt,

quemadmodum enim ventus segregat, paleas a frumento, sic hæresis separat leves et inutiles Christianos, saltem plerosque a bonis et sinceris: juxta id Baptistæ de Christo loquentis, Lucæ III. *Ventilabrum in manu ejus et purgabit aream suam*. Sane qui ad hæreses defecerunt, quid nisi paleæ erant? Jam ventri et Veneri dediti erant, et nihil magis optabant audire, quam jejunia abroganda, vota annihilanda, confessionem abolendam, satisfactionem et opera pœnitentia nil prodesse, etc. Unde non nisi vento quodam egebant prædicationis hæreticæ, ut ab Ecclesia avolarent; et hoc in magnum Ecclesiæ cedit ornamentum et fructum. Unde Tertullianus, libr. de præscript. cap. III. ait: *Avoleat quantum volet, palea levis fidei quocumque afflatu tentationum; eo purior massa frumenti in horrea Domini reponetur*. Levi vento non excutiuntur ab arbore nisi poma putrida et vermiculosa, [quæ porcis projiciuntur, ab hominibus non eduntur. Ecclesiasticus, c. XXXI. dicit: *Si coactus fueris in edendo multum, surge e medio, evome, et refrigerabit te, et non adduces corpori tuo infirmitatem*. Multum noxii cibi inter tot sibi appositos coacta fuit comedere Ecclesia, tepidos Christianos in stomacho plurimos habuit. Idcirco ut ab iis purgaretur, vomere subinde, et tepidos illos in hæresin vomere debuit, eosque canibus infernalibus objicere. Sic episcopo Laodiceæ scribit per Joan. Dominus, Apoc. III. *Quia tepidus es, incipiam te emovere ex ore meo*.

Secundo, a scandalosis et scabiosis ovibus, quæ alias inficere possunt. Sic medicus latentes humores noxios per medicinam foras educit, ut dolores omnes abstergere et sanitatem corpori afferre queat. Sic Christianus membrum putridum abscindit, ne alia membra inficiat. Unde ad Galat. V. ait apostolus: *Utinam abscendantur, qui vos conturbant*. Quando Sara vidit Ismaelem male moratum colludentem cum Isaac filio suo, contristata inde petiit a marito, ut ejiceret ancillam cum Ismaele filio, Gen. XXI. pari modo Deus cum ab immorigeris filiis et falsis fratribus videt alios perverti, indeque pati Ecclesiam, exaudit gemitus sponsæ suæ, ejicitque de Ecclesia reprobos, dum permittit, ut a pseudoprophetis inducantur in errorem et abscendantur ab Ecclesia.

III. Ut Ecclesiæ industria excitetur ad cognitionem Scripturarum, et ex hoc fides illustretur, atque in fidelium cordibus confirmetur. Sic Augustinus, epist. CV. « Hæreticorum inquietudine, inquit, ut Scripturas vigilantius perscrutemur, unde ne oculi Christi noceant, eis possit occurrere, tamquam de summo ignaviæ nostra excitatur

industria. » Et I. XVI. de civ. c. II. ait: « Multa ad fidem pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius prædicantur; et ab adversario mota quæstio, discendi existit occasio. » Et in Ps. LIV. « Numquid perfecte, inquit, de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Ariani? Numquid perfecte de pœnitentia tractatum est, antequam obsisterent Novatiani? » Non vult Deus ut imprudenter et irrationabiliter credamus, sed ut sciamus reddere rationem dogmatum nostrorum. In hoc vero apparet Dei mira providentia, quod ministerio hæresum erudiat Ecclesiam suam. Gabaonitæ vivere inter Hebræos permisi sunt a Josue, ita tamen ut ligna cæderent, et aquas comportarent perpetuo pro domo Domini, Jos. IX. Sic hæretici inter Christianos a Deo tolerantur, sed ut illis serviant ad ædificationem Ecclesiæ, et aquam sapientiæ comparandam; vel illi ligna apportant dum columnis Ecclesiam appetunt; et aquam dum suis rationibus impugnant: et hinc incalescit et a sordibus purgatur Ecclesia. Ideo omnibus sæculis, ventilata ab hæreticis Ecclesia, semper magis illustrata est. Hostibus ingruentibus muniuntur urbes patriæ, eriguntur valla, cuduntur arma, etc. atque ita paulatim patria fit munitissima et ad resistendum fortissima: sic etiam Ecclesia. Hinc oppugnato uno fidei articulo ab hæreticis, mox coactum est Concilium et veritas inquisita communique patrum consensu contra hæreses stabilita. Unde et hoc consecutum ut fidelis populus in fide solidaretur, dum videbat majores suos non temere ita credidisse, sed cum prudenti examine, quorum fides tam serio et toties examinata a tam multis doctoribus retenta et defensa est. Hoc ipsum patet nostro tempore, ubi studia in Ecclesia refloruerunt; cum paulo ante Lutherum pene nulla forent: ita dum Nestorius olim impugnaret B. Virginem, contendens non vocandam esse Deiparam, interim ejus cultus latius propagatur, quam olim factum sit, ut templa ei erigerentur, et vix inveniretur qui Mariam non vocaret Dei genitricem, Baron. anno 431.

IV. Ut fidelium mores corrigantur et peccata, quibus, sicut e corporum et vestium pædore pediculos, ordinarie videmus prodire hæreses. Sic Dominus dicebat: *Omnem palmitem ferentem fructum purgabit eum (Pater) ut fructum plus afferat*, Joan. XV. Purgat autem Ecclesiam Deus cultro etiam hæreseos. Primo, quia ex oriente hæresi mox cogitur Concilium, ubi non tantum stabiliuntur fidei dogmata, sed etiam extirpantur vitia